



# The Holy See

---

FRANCISCUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

LITTERAE DECRETALES

***QUIBUS BEATAE EUPHRASIAE A SACRO CORDE  
SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR\****

«Loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino » (Eph 5, 19).

Hanc Apostoli hortationem Beata Euphrasia a Sacro Corde fecit suam, eo quod ea facta est motus totius vitae eius, ita ut illa vocaretur « Tabernaculum mobile » a consororibus propter suam devotionem suumque amorem erga Dominum Iesum, praecipue in Sancta Eucharistia praesentem.

Rosa Cherpukaran Eluvathingal nata est die XVII mensis Octobris in oppido *Kattoor* in regione *Trichur* civitatis Keralae in India. Novem annos nata, virginitatem suam dicavit Beatissimae Mariae, quae docuit eam Deum adorare omnibus et singulis horis simul cum angelorum choro. Cum pater eius voluerit eam in matrimonium collocare, mors eius sororis minoris natu adduxit eum ut eam in Collegium Sororum Carmelitarum in *Koonammavu* inscriberet. Infirma valetudine usa, bis coacta est ad domum revertere ut sanesceret, sed, post novem annis, potuit eandem communitatem religiosam denique introire. Divisione vicariatuum ritus syromalabarensis in Kerala facta. Rosa, Episcopo Ioanne Menachery iubente, se contulit in *Ambazhakkad*, ubi primus conventus archidioecesis indivisae Trichuriensis fuit. Postulans facta est anno MDCCCXCVII, quo tempore accepit nomen Euphrasiae a Sacro Corde. Anno insequente habitum religiosum induit. Deinde die XXIV mensis Maii anno MCM, die videlicet dedicationis novi conventus in *Ollur*, vota sollemnia nuncupavit. Vita spiritualis eius necnon experientia mystica notae fuerunt confessario, Domino Joanni Menchery, Episcopi eius, qui iussit eam, per sanctam oboedientiam, eas

experientias in libello scribere. Vota professa, nominata est adiutrix Magistrae Novitiarum, quo tempore ministerium praestabat etiam in valetudinario, ubi sorores aegrotantes diligenter curavit. Quattuor annis post ipsa nominata est Magistra Novitiarum, quo munere magna cum caritate et fortitudine diu functa est. Novem deinde post annis electa est Mater Superior Conventus Sanctae Mariae in Ollur. Veram quidem ostendit se matrem versus consorores et demonstravit se amorem praecipuum habere erga aegrotantes et debiliores. Tamquam Mater Superior reapse effecit quod docuit, sic exemplum praebens vitae sanctitatis, paenitentiae et orationis. Sancta Teresia Abulensis fuit ipsi primum exemplar fidei et, eam secuta, summa vitae spiritalis fastigia attinxit. Enimvero Dominus Iesus attribuit ei dona interiora extraordinaria. Devotio eius erga Sacratissimum Cor Iesu fuit flamma inextinguibilis cuius ardorem ea in cordibus consorum colendum etiam infudit. Solebat multas horas colloqui cum Domino, oblita omnino sui ipsius necnon omnium rerum circumstantium. Quotiens Sanctissimam Communionem recepit, cum gratias ageret Deo, in exstasim rapiebatur, revelationes ac visiones experiens. Saepe Passionem Christi meditabatur, se flagellabat et camisiam spinosam induere solebat. Mater Euphrasia ferventem coluit filialem devotionem erga Virginem Mariam, cuius intercessionem petebat per recitationem rosarii. Orationes quoque pro animis in purgatorio offerebat. Beata Euphrasia, suavem per odorem orationis experta est mysticam unionem cum Deo et Ei sanctam hierarchiam et Ecclesiam introduxit. Septuaginta vero et quinque annos nata, in morbum incidit et paulo post, die scilicet XXIX mensis Augusti anno MCMLII, mortem obivit, consororibus necnon omni populo Trichuriensi pie adstantibus.

Causa beatificationis incepta est anno MCMLXXXVII in Eparchia Trichuriensi, atque ipse beatificationis ritus peractus est die III mensis Decembris anno MMVI in paroecia Sancti Antonii in *Ollur* civitatis Kerala. In conspectu canonizationis, quaedam mira sanatio infantis posita est deliberationi Sanctae Sedis. Perfecta deinde est die XXXI mensis Augusti anno MMXII Inquisitio Eparchialis, cuius acta transmissa sunt ad Congregationem de Causis Sanctorum. Die IV mensis Iulii anno MMXIII Consultores Medici eiusdem Congregationis hoc mirum factum scientificè inexplicabile declaraverunt, cui sententiae annuerunt etiam Consultores Theologi in Congressu Peculiari diei XXVII mensis Decembris anno MMXIII. In Sessione Ordinaria diei XVIII mensis Martii anno MMXIV Patres Cardinales et Episcopi hanc miram sanationem verum miraculum iudicaverunt, divinitus patratum per intercessionem Beatae Euphrasiae a Sacro Corde. Nos Ipsi iussimus Congregationem de Causis Sanctorum ut Decretum super miro promulgaret die III mensis Aprilis eiusdem anni. Deinde Nos, in Consistorio diei XII mensis Iunii anno MMXIV, canonizationem eiusdem statuimus agendam die XXIII mensis Novembris, die scilicet Sollemnitatis Domini Nostri Iesu Christi Universorum Regis, cuius celebrationi Nos Ipsi praesedimus in Basilica Petriana.

Hodie igitur hanc formulam inter Sacra protulimus:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac

Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum Consilio, Beatos Ioannem Antonium Farina, Cyriacum Eliam Chavara a Sacra Familia, Ludovicum a Casaurea, Nicolaum a Longobardis, Euphrasiam a Sacro Corde et Amatum Ronconi Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Videlicet vero summa sua perseverantia mulier haec Dei quae verbo docuit opere semper perfecit et, austeram sanctamque ducens conversationem, universis christifidelibus fuit speculum effulgens virtutum mira erga Sacratissimum Cor Iesu pietate suffultum, quas aemulantes in terris, tribuat Dominus, ut ipsi gaudiis cum ea perfruamur aeternis.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo et tertio mensis Novembris, anno Domini bis millesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

**EGO FRANCISCUS**  
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

---

\*AAS, vol. CVIII (2016), n. 8, pp. 831-834.

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana